



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Placet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

morem aliorum prædecessorum nostrorum fiet , difficulti-  
mumque esset eadem die sessionem & processionem hu-  
iusmodi celebrare , ac ex aliis iustis & rationabilibus causis  
nostrum & dictorum fratrum animos mouentibus, de con-  
silio & assensu prædictis, sextam sessionem præfatam quin-  
to Kalendas Maii proxime futuri , quæ erit die Mercurii  
vigesimali septima præsentis mensis Aprilis , qua causæ hu-  
iusmodi cessabunt , ac citati & moniti præfati compare-  
re , & eorum causæ & allegationes audiri , vel vera con-  
tumacia accusari poterunt, prorogamus, illamque ipsa die,  
quinto Kalendas mensis huiusmodi faciendam indicimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam  
nostræ prorogationis & inductionis infringere , vel ei au-  
su temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præ-  
sumperit , indignationem omnipotentis Dei ac beato-  
rum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incur-  
surum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimotertio,  
quarto Idus Aprilis , pontificatus nostri anno primo.

#### P L A C E T .

Executio & publicatio suprascriptarum literarum  
prorogationis , sequitur & est talis.

Die decima mensis Aprilis præsentes suprascriptæ li-  
teræ affixa & publicata fuerunt in valuis principis apo-  
stolorum de Vrbe , in valuis ecclesiæ sancti Ioannis Late-  
ranensis , in valuis cancellariae apostolicæ , ac in acie Cam-  
pifloræ , ut moris est , per me Ioannem Dominicum de Fi-  
delibus , curforem.

Alia executio & publicatio earumdem literarum pro-  
rogationis , est talis.

Die vero vndecima mensis Aprilis , affixa & publicata  
fuerunt in valuis basilicæ sancti Ioannis Lateranensis , dum  
ibidem gentium multitudo propter accessum sanctissimi  
domini nostri , domini Leonis papæ X. congregata erat ,  
per Ioannem Dominicum de Fidelibus , curforem.

Die vero Lunæ vndecima supradicti mensis Aprilis ,  
post diuinum officium in basilica sancti Petri principis a-  
postolorum peractum , ante horam prandii , sanctissimus

ANNO CHRISTI 1513. in Christo pater & dominus noster, dominus Leo diuina prouidentia papa decimus diadematè pontificali coronatus solenniter cum maximis mirificisque triumphis, honestate, reuerentia & honore decentibus, per reuerendissimos in Christo patres & dominos, dominos sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, cum albis mitris atque pluuialibus ornatos, nec non perplures illustres duces & barones, nobilesque Romanos, atque ceterarum nationum homines, de dicta basilica sancti Petri ad basilicam sancti Ioannis Lateranensis, pro nonnullis ceremoniis ibidem faciendis, laudabiliter associatus extitit.

### S E S S I O VI.

*& prima tempore sanctissimi domini nostri, domini Leonis papæ decimi.*

**I**N nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quingentesimo decimo tertio, indictione prima, die vero Mercurii vigesimali septima mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno primo, sacra & vniuersali Synodo in basilica Lateranensi congregata, fuit celebrata sexta sessio, praefato sanctissimo domino nostro. Et fuerunt praesentes infra scripti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ & archiepiscopi, ac reuerendi patres domini episcopi, abbates & oratores principum, illustres domini & alii quamplures doctores & magistri & equites ac nobiles, in primis reuerendissimi domini

#### *Episcopi cardinales.*

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.  
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.  
Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.  
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.  
Reuerendissimus dominus Franciscus Sabinensis.

#### *Presbyteri cardinales.*

Reuerendissimus dominus Thomas tituli sancti Martini in montibus, Strigoniensis.  
Reuerendissimus dominus Franciscus tituli sanctorum Ioannis & Pauli.